



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 1. Qui corpore peccant, meritò etiam corpore luunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](#)

de peccato praterito non conteritur, de futuro  
non concipit emendandi propositum. Inimicus  
Dei est, cui adhaeret vel in facto delicto compla-  
centia, vel in presente voluptas, vel in futuro  
voluntas. Ille hunc in modum corde & cupidi-  
tatis orat, inimicus Dei voluntarius, & boni-  
tate Dei ad ipsius contumeliam abutens, non  
spoliatus, & exul, nec metu impendentium  
cladum mentem in scelera ardentem mutat.  
Quid talis aliud speret, quid expectet, nisi  
talionem? Quare & iste, & omnes, qui con-  
spirant cum isto, sciant sibi dictum: *In qua  
mensura mensi fueritis, remeteretur vobis.*

## CAPUT XIV.

*Alijs etiam profanorum hominum dictis,  
& exemplis, & quidem ob varia scel-  
rum genera, demonstratur  
pæna talionis.*

### §. I.

*Qui corpore peccant, meritò etiam corpore  
lidunt.*

**P**leraque, quæ modò attulimus,  
sacri scriptores de rebus sacrīs,  
tradiderunt, superest nunc, ut  
eamdem talionis legem, etiam vel profano-

T 5 rum

## 298 Cap. XIV. Talionis exempla,

rum authorum testimonijs confirmemus, vel, si qui authores non erunt profani, saltem exemplis profanis, ut patescat hanc diuinam Nemesin vbique gubernantem nulli, aut nusquam non esse mentuendam, seu in  
**Panorm.** aulis is degat, seu in templis. Regis Alfonsi  
 A. de reb.  
 ab Alfon.  
 so rege  
 gestis. ea sententia fuit, ut qua quisque re peccaret, eadem etiam plecteretur. Hinc cum equitem luxuriosum, & bonorum suorum decoctorem punire vellet, quibusdam ab eo enixè potentibus, ne in corpore luere debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat, respondit: Equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum, ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudisse; sed omnem suam substantiam corpori induluisse. In corpore igitur luere æquius esse, ut poena malefactis ex æquo responderet. Eiusdem sententiæ sunt omnes qui, dum potestate pollut, peccantes per illa ipsa puniunt, per quæ delinquent. Sic in multis Religiosis Ordinibus, curiosis oculi ad tempus obligantur, ne circumspicere possint; garrulis & linguis silentium indicitur, ut os refrænetur; inquietis & gyrouagis, limites ponun-

tus,

tur, quos non licet transilire. Prudentes quoque Confessarij, gulosis & ebriosis ieiunia, abstinentiam, temperantiam; luxuriosis & libidinosis cilicia, humicubationes, flagella imperant. Quibus in rebus etsi contraria contrarijs curari videantur, tamen ea ipsa corporis membra castigantur, quæ sunt præuaricata. Cur non iustè sic iudicent homines? ita ipse quoque olim iudicabit Dei. Nulli enim in inferis locis sensus suo cruciatu carebunt, qui hīc fuerunt instrumenta flagitiorum.

## §. II.

*Auari, luxuriosi, sani talione puniti.*

Ita Reges, & Duces, & Iudices iudicarunt: nec secus fecerunt subditi Iudicum, Ducum, Regum. Rufinus, apud Arcadium præfectus prætorio, quia auarissimus fuit, & manus ad opes colligendas nimium extenderat, à militib[us] exercituque Romano interfectus est. Capite verò Rufini resecto, & Niceph[us] lapide in os eius immisso, hastæ id infixerunt, & insublime sustulerunt. Dextram quoq[ue] eius abscissam, per urbem circa opificum officinas circumtulerunt, verbis his utentes: DATE STEPEM INEXPLEBILIS AVARITIA VIRO. Et ridicula ea mendicitas multum satis auri colle-

git.